



CUM DEO.

AUDITORES NOBILISSIMI,

DOCTISSIMI, PRÆSTANTISSIMI, AMICI

plurimum honorandi & dilecti.

Non arbitror, ullum vestrum ambigere, quã sincero & fraterno amore erga vos sim incensus. Nec vicissim unquam dubitavi de reciproco vestro in me affectu, quem semper instar pretiosissimi thesauri & amplissimi patrimonii feci. Quẽadmodũ igitur Hectori ad bella ituro, permixta bassimonita in cassidẽ ingessit Andromache: Quemadmodum peregrẽ abituris maritis, inter vota & lachrymas multa loquuntur sollicitæ conjuges: ita veniam dabitis abundantæ affectui meo, si in Exordio novi hujus anni, quẽ omnibus felicissimum precor, paucis vos allocutus fuero. Fateor, me hæcenus in refocillandis eloquentiæ studiis, nec vestra nec mea vota adæquare potuisse. Sed & cogitare vos jubeo, magna difficulter resurgere, postquã de fastigio suo lapsa sunt semel. Quemadmodum igitur ille picturã suã reclus, ita ego hæcenus sparsis subinde pagellis nunnulis, monitores provocavi, eorumque monita in usum meum converti. Sed, ne quid dissimulem, tacitus quandoq; surrexi in indignationẽ sutoris ultra crepidam. Nunc, cum genius meus non patiarur me diutius abesse à rerũ divinarum serio & non superficiali studio, cui parentum meorũ vota à primis incunabulis me consecrã-

secrârunt, Deum supplex adoro, ut jam dehinc Annales celeberrimę Academię hujus nobilitentur pulcherrimo restauratę Eloquentię elogio. Concipite pares spiritus, quot quot adestis, commilitones, nec de felicitate successus desperate. Planę constitui tempora ab ipsa naturá ad quietem refectionemq; data, in acerrimum laborem convertere & singulari quodam impetu ruere in amplexum Euphradię, ut & sitim vestram sedare & huic laborum speciei finem imponere possim. Iterum iterumq; Deum mecum invocate, ut proposito huic faveat.

Cæterum fortasse Xenium quoq; à me expectatis? Sed hæctenus nihil effecimus, proinde vobis *Nihil* dabo. Persarum Monarcha aquam rustici manu porrectam, quia amantis, non rejecit. Si rectę novi vestrum in me affectum, nec vos contemnetis hoc meum *Nihil*, sed potiùs cogitabitis, quantus ejus in universâ vita humana fiet usus, quanta præstantia. Inreest permultum, quam quisq; habeat patriam, adeo ut JCtis ansam dederit querendi, an natio hominis infamata indicium ad torturam faciat nec ne? Ita non minùs refert, Agamemnone vel Thersite quis sit natus. Est enim in equis, est in juvenis patrum virtus. Quęadmodũ igitur fortes creantur fortibus & bonis, ita ex nihilo nascitur nihil. Cæterum Oratores nostrini non postremum rei ex genere demonstrativo tractandę argumentũ petunt ab antiquitate. Quamquam ego semper judicavi, antiquitatem, rem neq; bonã facere, neque malum. Nam si omne antiquum bonum, bonus esset Diabolus. Si omne antiquum malum, malus esset Deus. Nihilominus si de nihili antiquitate audire desideratis, scitote, nihil fuisse ante creationem mundi,

& to-

& totum mundum ex nihilo creatum. Nuper perlustrabam emblemata Jacobi Catzj, JCr̄i, ubi sculptam videbam simiam, quæ amplexu suo prolem suam fovebat, cujus labra assiduis osculis purpurabat. Adscripta erant hæc verba: *Nunquam deformis amica.* Et sane, ita fieri amat, ut suum cuique pulchrum videatur. Corydon tamen semper putat Galatæam suam formosius esse Nihil. Quicquid sit, videmus patres filias suas gibbo, varice, strumâ, balbutie, lippitudine aut aliis corporis animique vitiis fædè deformes, præ cæteris bene dotare, saltem ut procos invitent possidentès Nihil. Sane, in literis & moribus perfectum videtur N I H I L. Josephus Scaliger, fuit eruditione Idumæus, Arabs, Syrusq; & Indus, Chaldæus, Æthiops, Græcus, Latinus, Thuscus, Britannus, Gallus, Hispanus, Batavus. Ex ejus schola prodiit Doctissimus Heinſius, cujus facundia & sapientia nemo præferendus ex antiquis illis Atheniensibus Romanisve. At is hoc utitur Symbolo: QUANTUM EST QUOD IGNORAMUS! Quantò satius esset, ut hoc symbolo uteretur Zipphusius, qui didicit Nihil? Petrus Ronſardus Gallus, Poëta erat ingeniosissimus, natus eodem anno, quo Galli infeliciter ad Ticinum fluvium pugnârunt. Diceres, DEUM, jaçturam nominis Gallici eo prælio factam, tanti VIRI ortu compensare voluisse. Attamen cum Guilielmus Sallustius Bartasius, Heros bellicâ & poëticâ laude illustris, hebdomade suâ mundi creationem descripsit, Ronſardus ille interrogatus, quid judicaret de Bartasii libro? respõdit: Ronſardus in unicâ hebdomade plus præstitit, quam ego in universâ vita meâ, adeoque libro illi in illo genere præferebat Nihil. Nihil tam facundum

dum est, ut omnibus omnia ubique & semper persuadere possit. Olim duo Legati Perusini ad Urbanum V. Pontificem Romanum Avenione decumbentem missi, paucissimis verbis mandata exponere iussi sunt. Tum alter nulla ægrotantis Pontificis habitâ ratione, verbosè admodum aures animumq; ejus fatigavit. Alter verò Pontificis fastidium animadvertens, finienti Collegæ urbanè subjunxit: *Sanctissime Pater, hoc etiam amplius in mandatis nobis datum, ut nisi quamprimum petitioni nostræ satisfacias, Collega hic meus Orationem suam tibi statim repetat, & dicat adhuc prolixius.* Tum Papa maluit petentibus in omnibus satisfacere, saltem ut dicerent Nihil. Olim eques Arragonius in aulam Hispanicam venit negotii causâ, ubi diu à domesticis & Consiliariis Regis elusus, tandem in genua provolutus, Regi ipsi petitionem suam exposuit. Rex nutante capite respondebat, tu verò accipies Nihil. Supplex igitur, genua Regis exosculans, & humiliter gratias agens, alacris surgebat. Audin' verò, regerebat Rex, *TE* accepturum *NIHIL*? Imò, respondebat eques, ideo gratias ago, optime *P. X.* Nam hoc unico verbo refutâsti sexcenta mendacia ministrorum tuorum, unum ex alio causantium. Si hoc statim audiissem, cum in aulam tuam veni, non solùm multorum mensium sollicitudine caruissem, sed & sumptibus non exiguis pepercissem. Loquantur alii de fortitudine militum Græcorum & Romanorum. At quid generosus est tot fortissimis belli Ducibus, quos ætas nostra vidit & admirata est? Nihil. Ubi nihil est, ibi & Cæsaris & Suecorum jurisdictio cessat. Gasto Foxius Heros erat fortissimus, pene prius dux quam miles, triumphator quâ

Impe-

Imperator. Quid post tantam fortitudinem è campis Ravennatium reportavit? Nihil. Apud Lucianum anima Pythagoræ subinde mutato domicilio, per omnia virorum & mulierum, per omnia bipedum & quadrupedū corpora peregrinata fingitur Tandem fatetur, se longè suavius vixisse, cum fuerit rana, quam cum fuerit rex. Non sine causâ, ita me Germana fides amet. Nam rana in aquis vivens, si sitim sedavit, bibit Nihil. Ast hoc privilegium homini ratione prædito, præsertim Germano, sæpe non contingere potest. Fidelitas amici, res est pretiosa, sed rara. Ast quovis fidelissimo amico fidelius est Nihil. Mendicus olim alebat canem, quem appellabat *vulgus*. Interrogatus de causâ nominis hujus, respondebat, vulgus amicitias utilitate probat. Si canem hunc cibo, me sequitur. Si ipse esurio, præter pediculos me comitatur *Nihil*. Circa hæc tempora servi mutant non condiciones sed Dominos. Euclio servos optat, qui habeant pedes cervinos, aures asininas, dextram sine pice, & os clausum & possint devorare *Nihil*. Dionysius Siciliæ Tyrannus, cum Jovi Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum jubebat imponi. Nam, aiebat, æstate grave est aureum, hyeme frigidum, utrique verò tempori aptum est aut laneū aut *Nihil*. Xerxes cum ingenti exercitu suo à Pythio Lydo magnifico convivio exceptus est. Et cum bonus ille Lydus pro filio natu minimo vacationē militiæ peteret, Xerxes filium dissectum suspendit, patremque in medio transire coëgit. Sic compendiosam artē docuit, quomodo ingrati homines excogitatâ offensionis specie, pro beneficiis reddere possint *Nihil*. Carolus V. admonitus aliquando in castris, ut leges Germanis militibus de vitandâ

ebrietate ferret, respondit, id perinde fore ac si Hispanis imperaret, ut furarentur *Nihil*. Fridericus Saxoniae Elector in conventu Coloniae habito post coronationem Caroli V. ad se accessit Erasmus Roterodamum dicens: quid tandem peccavit miser Monachus meus Lutherus? Video enim omnes illi malè velle. Resp. Duo maxima peccata commisit. Abstulit Papæ coronam & Monachis ventrem. Nunc igitur in multis locis habebunt *Nihil*. Nuper navis quædam Diabolo onusta, in mari Oceanico occurrit Mercatoribus quibusdam. Mercatores, in assueto hospitis aspectu perterriti, dixerunt: quò properas? Diabolus respondit, tendo in Bataviam, & quidem ad Dordrechtanos. Mundum universum transivi veluti leo rugiens. Interfui furibus, larronibus, scortatoribus, ebriosis, aliisque hominibus nequam. Tandem quidam pœnitentiam agentes dixerunt; Diabolus me seduxit. Dicit non potest, quàm infinito & effrenato odio tum prosequuti sint miserum me Diabolum. Ibo igitur ad Dordrechtanos, ubi literati disputant, quod Deus sit Autor peccati. Si homines tibi peccata imputant Deo, mihi certè imputabunt *Nihil*. Papa Clericos suos egregiè vexat. Ipse enim tot uxores habet, quot vult & miseris his concedit *Nihil*. Vidi ludum Scacchiæ eleganti carmine descripsit. Putatur autem ludus ille inventus in obsidione Trojanâ, ne milites Græci sentirent se facere *Nihil*. Demonax rogatus, an Philosophus etiam placentis vesceretur? Quid, inquit, num putas apes stultis tantum facere mel & cæteris *Nihil*? Hortensius instructissimam Bibliothecam sibi comparans, similis videtur gibboso, qui molem, quam in dorso portat, aspicit nunquam:
 Nam

Nam & hic in omnibus libris illis legit *Nihil*. In Vatini consulatu Romæ magnum fuit ostentum. Nam eo consule neq; bruma, neque ver, neq; æstas, neque autumnus fuit. Quæritis, quip Vatinius in toto consulatu suo proemendis ceras dederit? *Nihil*. Audacem fortuna juvat, cibus edacem. Si vis esse *nihil, nihil* ede, *nihil* laude. Dives in testamento amicis suis legat omnia bona sua, quæ si hinc auferre posset, daret *Nihil*. Pontius Galatææ nil dat. Dicit se omnia daturum post mortem. Cur ergo non moreris, inquit Galatæa. Bis dat, qui citò dat. Ast qui diu deliberat, num dare velit, dat *Nihil*. Qui ad conjugia se accingunt, interdum modicâ dote vendunt libertatem; interdum vetulas ducunt, ut citiùs discant ruffire; interdum Zelotypi fiunt metuuntque ne Jupiter iterum fiat olor; interdum agros & jugera crepant, quæ oculatissima natura nunquam vidit. Vultis hæc omnia vitare? *Nihil* amate. Phyllis totâ die clamat, conjugio gravius esse *Nihil*, ast totâ nocte sententiâ hanc refutans, pleno ore fatetur, conjugio suavius esse *Nihil*. Ut conjugium tuum sit felix & sine lite perennet, uxor tua omnia impetret & imperet *Nihil*. Miror, quod sæpè ob furtivam conjugis nequitiam, vir bonus vocetur cornutus. Profectò, quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto. Cur igitur à petulantissimo populo digitis monstratur omniumque ludibriis exponitur, qui & populo & conjugii suæ fecit *Nihil*? Cervus cornuâ mutat singulis annis. Ast Gelliæ maritus quotidie. Quæritis, quid hoc viro sit patientius? *Nihil*. Theologis confitenda sunt peccat, J Cris recensenda integra causa, Medicis describendus est morbus. Si animas, si fortunas, si corpora vestra tueri vultis, his tribus dissimulate *Nihil*. Corydon sæpè,

quæ racenda sunt, dicit amico, quem deinde per omnia sacra & prophana orat, ut hæc, quæ audiverit, æterno silentio premat. Visne ô Corydon alios silere? Sile ipse, & dico *Nihil*. Ardelio totâ die vagatur per urbem, semper quærens, quid novi? quid boni? Dum omnibus omnia simplici animo credit, facit ut sibi credatur *Nihil*. Politicus omnia prudenter desperat, & omnia fortiter sperat, & omnia diligenter cavet, & sic tandem metuit *Nihil*. Si sapitis, omnia caurè & citò facite, sed temere aut timidè, subito aut serò *Nihil*. Quæritis, quid sine auxilio Optimi Maximi Dei facere possitis? *Nihil*. Inter Christianos, quosdam vita damnabit, quosdam doctrina. Sunt non pauci qui religionem suam defenderent usque ad ignem **E X C L U S I V E**. Mirum, quod pura religio pietatem quidem suadeat, sed plerumq; obrineat *Nihil*. Sæpè videbis homines, qui totâ vitâ læti, bibuli, tumultuantes. Ast, quando infeliciores hora incidit, ad libellos precatorios properant, & deterso priùs pulvere torvos vultus figurant ad devotionem, & multû suspirantes preculas quasdam quærunt infortunio suo convenientes. Deinde paginas precationum illarum numerant, & si nimis prolixæ sunt, aut compendiosiores quærunt, aut libellos iterum claudunt. Hi quia destituuntur harmoniâ pectoris & oris, digni evadunt, ut à Deo accipiant *Nihil*. Si toties effoderentur oculi, quoties scandalum caperent & peccarent, universum genus humanum propediem videret *Nihil*. In extremo die divites quidam dicent se aurum, metallum illud maledictum, illud malorum omnium irritamentum abieçisse ad pedes citharædi & chorauli. Ast pauperibus, Christi amicis, clamabunt se religiosâ manu dedisse *Nihil*.

Prato-

Prætores aliiq; cives & rustici divites, Magnatibus mittere solent gallos, capos, anseres, turdos & alia. Puperibus verò *nihil* dant. O insani! Si mittere vultis munera cuiq; personæ convenientia, mittite cibos pauperibus & patronis vestris aut famem aut *Nihil*. Stercus, excrementum quidem vile est, sed tamen non inutile. Nam sine eo, Medici & Agricola possident *Nihil*. Juri, rem litigiosam trahere amant, tanquam nunquam finiendam, & cum causâ exciderunt, cliens verò rebus suis, mercedem nihilominus postulant, saltem quod erubuerint. Cliens si sapit, testandæ gratitudinis causâ ipsis dat *Nihil*. Politici, qui ex Italiâ & Galliâ reduces à patrum nostrorum moribus recedunt, & omnes pulices ruffire audiunt, semperq; nova instituta crepant, non quia bona, sed quia nova; ii, inquam, interdum imitari videntur Orbilium, qui Grammaticam reformaturus noluit discipulos suos dicere, SUM, ES, EST, sed SUM, SUS, SUR. Cui vir quidam fide & moribus antiquis præditus in aurem dixit: SUM, SUS, SUR, *esut sein gut / s u m, e s, e s t, laß bleiben wie es ist gewest.* At hi ipse politici, si omnia improbant, *Nihil* venerantur. Multi Pompejani sunt si vincit Pompejus. Si Cæsar vincit, ex tempore Cæsariani fiunt. Quæritis, quid ab his sperare debeant boni Principes? *Nihil*. Templum Ephesæ Dianæ tutos reddebat obæratos à creditoribus. Quæritis, quid hac in re asylum tutius præbeat? præter parsimoniam *Nihil*. Mercator, si rem fidemque perdidit, cantillat vacuus coram latrone viator, quia videt sibi posthæc restare *Nihil*. Veteres, credebant nummos sine chirographo sine cera. Nunc sine utroque *Nihil*. Dindymo in utraq; fortuna fidus fui, ille mihi perfidus esse inci

incipit. Si causam quæro, respondet: PROXIMUS EGO MIHI IPSI. Sis ergo, inquam, proximus tibi non mihi. Ich mag so kein Schelmen zum Nachbarn haben. Aut fidum amicum & vicinum cupio aut *Nihil*. In mundanis Francofurtensibus necessariò implendus est Catalogus libròrũ. Quæritis, quid pleriq; hodie scribant vel exscribãt, quod non scriptum prius? *Nihil*. Cur tot asini sacra Iſidis ferũt? Quia in Scholâ Socratis didicerunt *Nihil*. Socrates sapientiã à culo ad gurgulionem impletus dixit, se hoc unum scire, quod sciret *Nihil*. In gente literariã multi sciunt *Nihil*, & nesciunt se scire *Nihil*. Malum & *Nihil* & non ens, synonyma esse dicunt Metaphysici. Ergò si literati copiosè sed malè scribunt, scribunt copiosum *Nihil*. Plerunq; magna volumina autoribus suis vehementer placent. Alii in iis laudant *Nihil*. Forsan risu me dignum diceretis, si furdo dicerem: AUDI, cœco: ECCE, claudo: VENI. At ego tamen vidi, qui Doctores & Magistri creati, iustiq; docere varias artes & facultates, & ad gradus hos præter velle attulerunt *Nihil*. Miræ sunt rerum humanarum vicissitudines. Fortuna sevo læta negotio, ludum insolentem ludere pertinax, transmutat incertos honores, nunc mihi nunc aliis benigna. Quæritis, quid in eodem semper statu maneat? *Nihil*. Nulla est commoditas, quæ non sua fert incommoda secum. Ægyptus Nilum habet, coloni vice fungentem. Sed idem Nilus habet Crocodilum quadrupes malum, terrã pariter & flumine infestum. Cyrenaica rosas fert odoratissimas atque unguentum pulcherrimum; sed eadem quoq; generat Basiliscum frutices hominesque necantem. Arabia ab odoribus, quos spirat & in totum spargit orbem, felicitis cognomentum

adepta

adepta est, sed eadem noxiis serpentibus colore mentientibus terram & pestilentibus morbis ex gravitate aëris contractis, ita impetitur, ut infelicitis cognomen non malè gerere possit. China dicitur fertilissima & totius Orientis horreum. Populus Chinenfis sive (ut mavult Scaliger) Sinensis, tantâ est ingenii felicitate, ut vulgò dicatur, Chinenfes habere duos oculos, Europæos unum, cæteros populos nullum. Ast quot pericula regnum illud non rarò circumstant? Interdum enim ignis cœlitus immissus totos pagos, urbes, provincias depascit. Sæpe diluvia & inundationes, obvia quæque prosternunt, sæpe terra horrendo cum fragore intremiscens, diductis faucibus pecora & se ipsam devorat. Quæritis, quid sit ab omni parte beatum? *Nihil*. Pueri sæpe preciosissimis Xeniiis, auro atq; argento præferunt placentas vel alia gustu gratâ. At *Nihil* melle dulcius. *Nihil* tam boni saporis est, ut non indigeat vel sale vel condimento alio. Sæpe videbis ægrotum respuere turdos atq; lepores, quibus primam in mensis gloriam tribuebant veteres. Interrogatus verò, quid ergo desideret? postulat *Nihil*. Nescio quo cõsilio quasi à natura pueris insitus sit amor *Nibili*. Nam si malè sibi consciisunt, si virgas timent, præceptoribus suis anxie se excusât, dicendo: Parce præceptor, parce. Ego enim feci *Nihil*. Pluète Jove tardiùs ambulat vafer Méalcas, ut crescat lactis copia ex imbre, tandè miles venit, & lac devorans redhostimenti loco reponit *Nihil*. Ignavus clamat, optimâ esse rē labore non partâ sed relicta Proinde mortuâ novercâ lugubri pallio tegit gaudium suū, tandèq; ad hereditatē dividendâ avidâ spe accedens, invenit *Nihil*. Chymici omnia bona sua dilapidât propter lapidē,

& totum cum nihilo multiplicantes post laboriosissima & ingeniosissima mendacia producant *Nihil*. Fata regūt fatuos, sapiens dominabitur astris. Astrologi aliarum rerum prædictiones profitentur, suas ignorant. Quæritis, quid iisdem in tot Calendariis mentientibus credam? *Nihil*. Nostri Philosophiæ Studiosi, quanquam sciunt crumenas suas non admodum plenas esse, Syllogismos tamen in Darapti & Felapton faciunt, quibus probant in universa natura vacuū esse *Nihil*. Apud Batavos, illos Neptuni filios, novi philologum, qui viginti annorum spacio, orbi terrarum rem præstitit utilissimam, dum non sine ingenti labore observavit, in toto Homero unum tantum esse versum, in quo omnes partes Orationis simul contineantur. Philologus ille fastorum hebdomadalium lectione pascitur atq; pinguescit sicut aëre chamæleon, & esurire mavult aut ad secundam prandere, quam nescire mendacia. Quæritis, quid à Batavis pro tanto labore accipiat? *Nihil*. Tullius clamat, inepti Oratoris brevitate longius & molestius videri *Nihil*. At ego dico; Tullii longissimis Orationibus brevius & suavius esse *Nihil*. Hastenus noctem unam atque alteram combussi in perlustrandis Antiquitatis monumentis. Non semel profundis meditationibus immersus cogitavi, quomodo vobis consulere debeam, ut tandem discatis grandia verbaloqui, qualia de Sabinarum raptu, de Polyxenæ tumulo, aut jam jamq; morituro Catone declamare solent Oratores tragici. Sæpe quoque Ciceronianum Peripateticumq; sermonem Lucianico miscens, deducere vos volui ad priscam Philosophiam, non spinosam illam & atrocem, sed suavem, plenam risus & aspersam dulcore amœni.

mœnitatis. Suadeo illis, ut ex præscripto Martialis lactucis utantur & mollibus malvis, qui modestè ferunt, si non statim ex juvene senex fio, sed interdū Poëtas imitor, qui sub ridiculis fabularum involucris res serias tractant. Nec amo perpetuam gravitatem, nec jocos perpetuos. Ast heri tabulas meas Oeconomicas anxie perlegi, omnesq; cistas meas excussi, ut viderem, quid ineptiis meis promeruerim. Quæritis, quid invenerim? *Nihil*. Qui & de hujus & de futuræ vitæ felicitate finaliter desperant, quos nec Theologorum nec Medicorum solatia erigere possunt, qui in hac vita & improbi & stulti sunt, eos invita futurâ juyabit *Nihil*. Dives siudone & preciosis gemmis ornatus sepelitur, qui ex utero matris attulit *Nihil*. Parasito in universa urbe nō videtur esse vinum generosius, quàm pro quo datur *Nihil*. In Schola Grammaticorum, promittere & fallere verba esse dicuntur, *Nihil* verò nomen. Quam mirabiles vero Grammatici sunt, filii hujus seculi? Nam dum verba dant, *Nihil* dant. Cur avarus ex hæres cœli est? Quia eam expensū pænitet, & præterea *Nibili*. Ambitiosi quidam, postquam nobilitatis insignia Noachi diluvio amissa, in Hyrcaniæ aut Armeniæ montibus repererunt, videri volunt divites, cum domi esuritione arefcant, ut dentes eorum vel silicem comesse queant, tandem post varios casus moriuntur & hæredibus suis relinquunt *Nihil*. Si ad mare Balthicum in Gymnasia quædam veneris, occurret tibi senex philosophaster, cujus caput syllogismis ita impletum, ut credam nec lovis cerebrum æquè gravidum fuisse cum Palpadem parturiens Vulcani securim imploraret. Hunc si salutaveris dicens: Multum, plus, plurimum salvus fortunatusq; sis Ornatissime, Do-

Etissime simulq; Humanissime Domine Magister. Tum
 protinus omnes locos topicos mente percurrer, ut argu-
 mentis pro & contra collectis videat, an etiam ex utilita-
 te Reip. literariæ sit, tibi respondere: Tandem barbam
 semel atque iterum demulcens, post violentissimam tus-
 sim dicet: Ago vobis gratias, Literatiss. Domine Johan-
 nes. Si intercedente ejus vel ancillâ vel uxore favori ejus
 te insinuaveris, Scholasticam suam sapientiam pro P E-
 C U N I A tibi explicabit, non secus ac circulatores in nun-
 dinis Francofurtensibus, qui urfas saltantes nulli osten-
 dunt nisi numeranti pecuniam. Postquam verò sæpe di-
 xit, ita statuit Beurhusius, ita sentit Heizo Buscherus, &
 hæc est opinio Keckermanni, Tandem de suo addet *Ni-
 bil.* Ziphusi, sapientibus videris esse stultus, stultis videris
 esse sapiens, quid ipse Tibi? Multa, inquis, Scholasticorū
 volumina perlegi. Sed ô optime Ziphusi, quemadmo-
 dum æger stomachus multa degustat, & concoquit nihil,
 sic & tu multa legisti & sapis *Nihil.* Omnis honos, onus.
 Onera autem sæpe a finis imponuntur non equis. Sed, nō
 uni fortuna in ignotâ tellure floruit, qui in patriâ fuit *Ni-
 bil.* Orbilium dicunt esse præditum ingenio igneo. Qua-
 ritis, quo argumento id credam? Quia igne nascitur *Ni-
 bil.* Invidi sæpe invidiam torquent non ad causas sed ad
 personas. Iidem affectus, pro temporum & personarum
 sorte, nunc virtutes sunt, nunc vitia. Vultis adversus hos
 invidiæ aculeos tuti esse? *Nihil* discite, *Nihil* possidete.
 Hodie in conviviis vestris multi bibent pro sanitate Re-
 gis, qui cras sentient acerrimum capitis dolorem. Vultis
 hoc malum vitare? *Nihil* bibite. Eodem modo quo ho-
 dierno festo sapiens sustinet personam stulti, stultus per-
 sonam

sonam vel Consiliarii vel Regis, ita ferè distribuuntur dignitates in universo mundo. Multis vel per Genitivum vel per Dativum casum, vel per alium fortunæ lusum assignantur officia, ut vivere possint sicuti Canonici in Papatu, & Reipublicæ prodesse *Nihil*. Servus quidam industrius, aliquando herum suum allocutus est ita: Domine, vacat officium mihi idoneū. Hoc si abs te peto, sordeo. Si taceo, lateo. Quæso igitur, cōsulas mihi, quâ arte è pulvere & luto emergere, & officiū illud occupare possim? Herus breviter de genere officii quærens, respōdebat: Sis bono animo, serve fidelis. Mereris majora. Præficiam te ampliori honorū culmini. Servus miserimâ spei incertæ dulcedine diu infestatus, tandem accipiebat *Nihil*. Laude digna censeretur politicorū illorum prudentia, qui semper ad excitanda bona ingenia excogitant præmia, quæ quidem honorifica accipiētibus, sed ærario publico nocent *Nihil*. Ubi nullū virtutis præmiū, ibi nullus virtutis stimulus; ubi nullus virtutis stimulus, ibi nullum pro virtute certamen, ubi nullum pro virtute certamen, ibi virtus ipsa tandē abit in *Nihil*. Quæritis, quid factu sit difficile & sine spe præmii fiat facile: *Nihil*. Thaidi, ut bona sit, præter velle deest *Nihil*. Nano ut magnus sit, præter posse deest *Nihil*. Natura nobis linguam unam dedit, manus duas, ut pauca promittamus & multa præstemus. Sed homines quidam putant se manum unam habere & linguas duas, hinc multa pollicentur & præstant *Nihil*. Promissis dives quilibet esse potest. Ast postquam mihi multa à multis promissa, possideo *Nihil*. Lædimus vivos innocentes, eosdēq; laudamus mortuos. Proinde vita nigrius & morte candidius esse puto *Nihil*. Ne jussu Pontificis eū Doctissimo Jordano Bruno,

Nolano Italo, flammis addicari, statuo cœlū moveri & terram stare. Hinc scœminas quasdam, scœminas verò? Imò etiam magnos viros cœlestia ingenia habere suspicor. Nā quia singulis momentis moveri & mutari possunt & incōstantissimi sunt; procul dubio terrenum habebunt *Nihil*. Qualis in cœlo erit amicitia, si in terrā casto amore dulcius est *Nihil*? Afine, dum de moribus seculi scribo, me flocci facis, nauici atq; reruncē. Quæris, quanti te faciam? *Nihili*. Nam quod in te admirer, quod in te amem laudēque, video *Nihil*. Vir quidā ingeniosissimus, qui jam in illustrissimā quadam aulā chori Musici præfectus est, mihi aliquando recensuit, se in pueritiā suā ex obscuris præceptis Grammaticæ non potuisse discere discrimen inter nomen & verbum. Proinde Ludimagistrum hanc tandē tradidisse observationem: Cuicumque vocabulo apponi possunt particulæ, *Ich/Du/Er*/ hoc verbum est, non nomen. Tandem discipulū interrogatum: Stultus, est ne verbum vel nomen? respondisse, est verbum. Cur? quia dicere possum, *Ich Narr/du Narr/er Narr*. Ut ut contradicat universa Grammaticorum Synodus, ego tamen pronuntio respōsionem hanc esse verissimam. Narravere patres & nos narravimus omnes. Et qui hac in re mihi assentiri nolunt, cæteros stultitiā superant. Quæritis autem, quid singulari hoc privilegio gaudeat, ut semper & ubiq; sapiat? *Nihil*. In Epistolis obscurorum virorum quidam exclamat: In *mundo mirabiliter vadit*. Et quam vellē hīc diffundere vela Orationis! Sed hāc de re Plato suadet dicere *Nihil*. Nostis me hominem esse boni pectoris & linguæ liberæ, sed ea res parūm mihi profuit. Proinde si in nūdinas Francofurtenses rediero, emam mihi pſtuta cum. Ab hoc anima

Animalculo discam, aut aliorū sermones imitari, aut dicere *Nihil*. Imò hæcenus à me didicistis *Nihil*. Si creditis vos jam dum seivisse nihil, in posterum Deo clementer adjuvante discemus *aliquid*. Quod ut feliciter fiat & auspiciatò, tuam ante faciem supplex procumbo, ò magnū cœli Numen, tuamq; bonitatem & misericordiã in vota precesq; meas cito. Da mihi ò Numen, quod jubes, & jube deinde, quodcunq; vis. Tu aperire potes os mutorum & infantiles linguas facere disertas. Proinde jam dehinc nobis succurre. Nam Tua res agitür. Dissila nubes, quæ mentes nostras obscurant, a sdemq; illustra gratioso lumine tuo, ut concipiant optima, ab inutilibus fecernant utilia, à supervacuis necessaria, à falsis vera. Da ut pietatem semper colamus sine superstitione, omnemque virtutem exerceamus sine ostentatione. Sine ostentatione dico, communiliteratorum vitio. Nullis occupationibus prophanis sic distineamur, ut non aliquot horas quotidie seponamus percipiendo vero & preciosissimo studiorum fructui, qui consistit in contemplatione & cognitione Tui. Semper nos sollicitet vita æterna & utilitas publica, non avaritia aut opum aut famæ laudisq; posteræ. Semper cogitemus, fore ut aliquando Te cognitore dispiciatur, non quid legerimus, sed quid fecerimus. Omnes lucubrationes, omnes meditationes nostrę nos ducant ad pietatem, cui ut Dominæ Comites semper eant bonæ artes, ut pedissequæ. Protege Illustrissimum patriæ nostræ patrem, cujus laudes, mortales omnes avidissimis auribus excipiunt, cujus HEROICA facinora & prærens ætas & infinita posteritas non sine ingenti veneratione numerabit. Protege Illustrissimam puerperam, optimam patriæ no-

stræ

stræ matrem, cujus inter nepotum cuneos exultantis imaginem sæpe pro Cybele bonus posteritatis error accipiet. Protege universam Illustrissimæ domus Hassiacæ progeniem & fac, ut multiplicatæ miseraciones tuæ pergant fidem facere, te tibi hujus provinciæ curam peculiarem seposuisse. Inprimis potentissimâ dextrâ tuâ tuere novam prolem, quâ nuper & Principem & subditos exhilarasti. Inde animo ejus metum tuum, membris da robur & decus & pulchritudinem, vultui gratiam, sermoni elegantiam & fac eam omninò talem, qualem Illustrissimi parentes optant, nos votis & expectatione concipimus, qualem deniq; fas est esse eam cujus ortus ad te autorem refertur. Denique Serva tibi bonoq; publico Patres atq; cives Academicæ hujus, & fac ut ex hoc fruticeto Ecclesiæ tuæ, ex hoc Musæo Germaniæ, magnâ copiâ produci possint, non Biberii, non Capito-nes, non Rabirii, sed egregii viri, illis muneribus idonei, quibus eos destinasti. Quæ facta sunt tege, quæ futura sunt rege. Facur gigantea audacia diffingatur, vita Epicurea corrigatur, Cyclopica immanitas compefcatur, & post hæc, etiam bonis literis inimici, pleno ore pronuncient, quod Marpurgum sit officina pietatis, magistra humanitatis, fons honestatis, scaturigo utilitatis, seminarium morum & disciplinæ, emporium omnium bonarum literarum & cornu copiarum omnimodæ felicitatis. Salus Academicæ (quam provinciæ hujus palladium esse, illi vident, qui bono publico non invident) unicuique suprema lex sit. Hanc pro se quisq; quantum niti potest, promoveat consilio, re, votis. Et hanc nostræ conditioni tam convenientem curam nullo neque tempore neque loco, nullâ occasione à nobis desiderari patiamur. Sic vivat Princeps Illustrissimus, vivant Patres Academici, vivat & floreat universa Studioforum corona, cui me quantus quantus sum L.M.Q. dedico.

AD LECTORUM.

Lector. Si methodum in discursu hoc desideras, scias me confusione hæc non sine causâ usum esse. At qua illa causa? dicent invidi mei. Vt eas a sini ignorent, dico Nihil. Nolo in tota hac Oratione Te desiderare Nihil. Raptim eam effudi cum agere volui Nihil. Nihil ajunt mederi oculis, ego invidiam id præstare dico. Nam qui vitia sua cernere non potest, & invidiam concipit, protinus alienos navos acutissimo oculo numerare potest. Sed scias me judicia illa facere Nihili. Vale.

F I N I S.